



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

12 De Pueris recipiendis ad religionem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)



manet peccatum originale non solum actu, sed etiam reatu, ideo est in eis aliquid damnationis ex parte originalis peccati, non autem ex parte actualis, si concupiscentijs non consentiant. Ex hoc ergo non sequitur, quod in infidelibus primus motus inducat damnationem peccati mortalis, sed sequitur quod habeat annexam damnationem originalis peccati.

AD SECUNDUM dicendum, quod debitum originalis iustitiæ pertinet ad ipsam personam infidelem ratione humanæ naturæ, quam a primo parente traxit, cui collata est originalis iustitiæ: & ideo id, quod pertinet ad defectum originalis iustitiæ, pertinet ad peccatum naturæ, scilicet ad peccatum originale, non autem ad peccatum actuale, quale est peccatum mortale.

QVAESTIO XII.  
ARTICVLVS XXIII.

*Verum pueri non exercitati in præceptis, debeant recipi in religione.*

28. q. 189. ar.  
1. o. & 2. q. 8.  
q. 100. ar. 2.  
ad 4. & ad  
19. huius

**Q**VAESTIO est, utrum pueri non exercitati in præceptis, sint recipiendi, vel obligandi voto, vel iuramento, vel beneficijs alliciendi ad ingressum religionis: & videtur, quod non. Perfectio enim consiliorum, ad quam ordinantur religiones, a Christo exordium sumpsit: sed Christus primo consilium perfectionis dedit adolescenti, quod præcepta seruauerat, ut patet Matth. 19. ergo soli illi, qui sunt exercitati in præceptis, sunt ad religionem obligandi, vel recipiendi.

¶ 2 Præf. Greg. dicit super Ezech. Nemo repete sit summus, sed in bona cōuersatione a minimis quis inchoat, ut ad magna perueniat: sed magna sunt consilia, quæ pertinent ad perfectionem vitæ, minora autem sunt præcepta, quæ pertinent ad omnem iustitiã. ergo prius debent pueri exercitati in præceptis, quam ad consilia inducantur.

¶ 3 Præf. Exod. 21. dicit. Si quis aperuerit cisternam, decideritq; bōs, vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium iumentorum: sed ille qui aliquem puerum nondum in præceptis exercitatum ad religionem inducit, quodam modo aperit ei cisternam, quia pleriq; tales religionem ingredients egrediuntur, & in desperationem incidunt, quasi in quandam spiritualem cisternam. ergo videtur, quod ille qui cum inducit, hoc ei imputetur ad peccatum.

¶ 4 Præf. Illud quod est expediens communi utilitati, non est tollendum: sed expedit communi utilitati, quod homines propria libertate utantur ad bonum faciendum: ergo non est aliquibus auferenda talis libertas per obligationem voti, vel iuramenti.

¶ 5 Præf. Beatus Benedictus monachorum institutor almficus in sua regula statuit, quod venientibus ad religionem non sit facilis præbendus ingressus, sed probandum sit an spiritus a Deo sit. ergo multo minus sunt aliqui muneribus, vel beneficijs alliciendi.

¶ 6 Præf. Greg. dicit, & habet in decretis distinctio 48. Scimus quod edificati parietes non prius tignorum pondus accipiunt, nisi nauitatis suæ humore siccat, ne si ante pondera quam solidentur accipiant, cunctam simul ad terram fabricam deponant: sed pueri qui nondum sunt exercitati in præceptis, sunt quasi parietes nondum desiccati. ergo non sunt eis imponenda iugna, id est, graua religionis instituta.

¶ 7 Præf. Status religionis, est status poenitentiae: sed pueri excipiuntur ab omni poenitentiae coercionem, ut habetur in Decretis de poenitentia, dist. 4. ergo non sunt ad religionem inducendi.

¶ 8 Præf. Sicut dicitur 20. q. 1. Quod quis non operatur, nec eligit, profecto non diligit: quod autem non diligit, facile contemnit: sed pueri antequam sint exercitati, non habent firmam electionem, ergo nec firmam dilectionem. facile ergo religionem contemnent, si in tali ætate ad religionem inducantur.

¶ 9 Præf. Prou. 14. dicitur. Substantia festinata minuitur: sed velle nimia festinantia quod aliquis ad consilia conuoluerit nondum in præceptis exercitatus. ergo velle quod bonorum spiritualium substantia de facili minuitur. ergo non sunt ad religionem inducendi.

¶ 10 Præf. Non minor cura est adhibenda in ingressu religionis, quam in susceptione ordinis: sed in ordinibus prohibentur ad maiores accedere, qui minores non acceperunt: ergo etiam nec debet aliquis ad obseruantiam consiliorum religionem transire, nisi prius præceptis obseruatis.

¶ 11 Præf. Duo sunt homini necessaria, intelligere verum, & operari bonum: sed intelligendo verum stultus reputaretur qui prius ad difficiliora transferreret, quam leuiora intelligeret. ergo stultum est in comparatione boni, quod aliquis prius transeat ad consilia, quam in præceptis exerciteretur.

¶ 12 Præf. Cuilibet in religione existenti conuenit curam agere aliorum, vel saltem sui ipsius: sed in his qui eliguntur ad aliquam curam, ecclesiasticam, oportet eligere meliores. ergo oportet eos qui ad religionem assumuntur, eligere meliores: hi autem sunt qui sunt exercitati in præceptis. ergo tales sunt ad religionem inducendi.

¶ 13 Præf. Illud quod est in se bonum, si ex eo sumatur peccati occasio, est abijciendum, sicut serpens auentus quem Moyses fecerat ex mandato Domini ad sanandum filios Israel, ut habet Numeri 21. Ezechias cōbussit, quia ex eo sumebatur idolatriæ occasio: similiter etiam quis benedictio sit secundum se bona, si reprehenditur, si minor præserte maiore benedicit. Cui ergo aliquis in exercitatu in præceptis sumatur occasio peccati ex ingressu religionis ab ea recedentes, quibus religio sit secundum se bona, tamen videtur, quod non exercitatos ad religionem inducere sit vitandum.

¶ 14 Præf. Greg. dicit, & habet in Decretis distinctio 48. Casum appetit qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quarit ascensum: sed procedere ad consilia non obseruatis præceptis est postponere gradum. ergo videtur, quod hoc sit casum querere, & ita ad hoc non sunt aliqui inducendi.

¶ 15 Præf. Damasc. dicit in 2. lib. quod non est inutile inexpertum existentem & improbatum in corruptione frui, ut non in superbiã incidat, & in laqueum diaboli. ergo paritione non est inutile improbatos & inexpertos in præceptis ad statum contemplationis assumi, ad quem religio ordinatur.

¶ 16 Præf. Greg. dicit in 6. Moral. post Lix amplexus ad Rachelem Iacob peruenit, quia perfectus quisque ante actiua vitæ ad fecunditatem iungitur, & post contemplatiua ad requiem copulatur: sed actiua vita consistit in obseruantia præceptorum, status autem religionis pertinet ad vitam contemplatiua. ergo non sunt aliqui ad religionem inducendi, antequam sint in præceptis exercitati.

¶ 17 Præf. Nulla promissio est faciẽda, cuius solutio non est licita: sed soluere aliquid alicui pro ingressu religionis



religionis non est licitum. vnde dicitur 1. q. 2. c. Quapro. Numquam legimus Deum discipulos, vel eorum ministerio conuersos, quempiam ad Dei cultum aliquo muneri interuentu prouocasse. ergo non sunt aliqui promissionibus ad religionem alliciendi.

¶ 18 Præf. Nullus qui non est exercitatus in armis, secundum leges est admittendus ad militiam corporalem: sed religio est status militie spiritualis. ergo non sunt aliqui recipiendi ad religionem, nisi prius exercitati præceptis quasi in quibusdam spiritualibus armis.

¶ 19 Præf. Qui non potest se obligare ad minus, non potest se obligare ad maius, nisi sit necessarium: sed puer ante decimum quartum annum non potest se obligare ad matrimonium quod minus est. ergo multo minus ad religionem.

¶ 20 Præf. Legi Marci 5. q. Dñs dæmoniaco curatum non permittit secum intrare nauim, quæ significat crucem & religionem: per dæmoniaco autem curatum signantur homines a peccatis conuersi. ergo non sunt ad religionem accipiendi peccatores statim conuersi, antequam in præceptis exercitentur.

¶ 21 Præf. Bonorum operum fructus habere debemus, quando de Aegypto eximus, ut dicit quædam glo. l. x. o. 1. 2. sed exire de Aegypto, est exire de mundo religionem intrando. ergo illi qui volunt religionem intrare, debent prius fructum bonorum operum habere per obseruantiam præceptorum.

¶ 22 Præf. Aug. dicit in lib. de sermone Domini in monte, q. omnis præsumptio est coercenda: sed magna præsumptio videtur esse quod aliquis velit ascendere ad arcem consiliorum, nondum obseruatis præceptis. ergo tales sunt coercendi, & non allicendi ad religionem ingressum.

¶ 23 Præf. Aug. dicit in eodem lib. q. maiora maioribus, & minora minoribus sunt exhibenda: sed consilia sunt maiora. ergo non sunt pueris in exercitatis exhibenda, & ita pueri nondum exercitati in præceptis non sunt ad religionem trahendi.

SED CONTRA est, quod dicitur 20. q. 2. Sic in quolibet & infra. Parentibus sane filios suos ad religionem tradere non amplius quam ultra decimum quartum annum ætatis suæ licentia esse poterit. Postea vero aut cum voluntate parentum eorum, aut si suæ deuotionis sit sollicitarium votum, erit filijs licitum religionis assumere cultum: sed post quartum decimum annum non statim sunt homines in præceptis exercitati. ergo possunt religionem ingredi pueri antequam sint in præceptis exercitati.

¶ 2 Præf. Maius est quod aliquis assumatur ad regimen sui & aliorum, quam quod recipiatur in religione, in qua sub regimine alterius uiuit: sed Salomon adhuc puer exiliens assumptus est ad regnum sui & aliorum. Vnde dicitur 1. Para. 29. Locus est Dauid rex ad omnem ecclesiam. Salomonem filium meum elegit Deus adhuc puerum & tenellum. ergo multo magis possunt pueri non exercitati in præceptis ad religionem recipi, vel induci.

¶ 3 Præf. Illud votum non est illicitum, ex quo non redduntur aliqui res si soluunt: sed sicut dicit Ambrosius. Illæ que in puerilibus annis continentiam uouerunt, non constituuntur reæ, si votum exoluant, ergo quod aliqui voto astringantur ad religionem in puerilibus annis non est illicitum.

¶ 4 Præf. Nihil est illicitum, per quod aliquis a bono non retrahitur, sed qui prouocatur ad meliora, non retrahitur a bono. ergo cum status religionis sit melior, in quo

observantur consilia, quam status vite secularis, in quo simpliciter observantur præcepta, videtur quod non sit illicitum inducere pueros ad religionem voto, vel iuramento, aut etiam beneficio antequam in præceptis sint exercitati.

¶ 5 Præf. 20. q. 1. dicitur. Firma tunc erit uirginitatis professio, ex quo adulta iam ætas esse ceperit, & quæ solet apta nuptijs deputari: sed non statim in hac ætate uiri, vel mulieres sunt in præceptis exercitati. ergo antequam aliqui in præceptis exercitentur, licite possunt religionis astringi voto, vel iuramento.

¶ 6 Præf. Si talis obligatio esset illicita, si qua pueri non exercitati in præceptis voto, vel iuramento ad religionem obligantur, aut hoc esset quia est semel mala, aut quia est prohibita: sed non est semel mala, quia sic executio, siue adimpletio promissionis esset peior, & perseverantia pessima, cuius contrarium uidemus: quia adimplentes ea que promiserunt in puerilibus annis, & in promissis perseverantes, maxime commendantur. Similiter et non est illicita talis obligatio, quia prohibita. Non enim prohibetur lege veteri. Dicitur Num. 30. Mulier si quippiam uouerit, & se costringerit iuramento, que in domo patris sui & in ætate adhuc puellari, si cognouerit pater votum quod pollicita est, & iuramentum quo obligauit animam suam, & tacuerit, voti rea erit: quicquid pollicita est & iurauit, opere complebit: si autem ut audierit, contradixerit pater, & vota, & iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quod contradixerit pater. Similiter et non est prohibitum in iure canonico, quia in decreto Leonis Papæ hæc eadem autoritas inducitur. Si militer et non est prohibitum lege Euangelij, que maxime inducit homines a recedendo a mundo, & ad sequendum perfectionis opera. ergo licitum est obligare voto, vel iuramento pueros nondum exercitatos in præceptis ad religionem.

RESPON. Dicendum, quod hoc quod pro questione hæc inducitur, dubitationem non habet, nisi quod quidam contentioni studentes ueritate obnubilare conantur. Vnde hæc locum habent uerba que Aug. dicit in 2. de ciui. Dei. Nam quoniam ille est maior & tertior insipientium morbus animorum, quo irrationabiles motus suos et post rationem plene reddita siue nimia cecitate, qua nec aperta cernuntur, siue obstinatissima pernicacia, qua & ea que cernuntur non feruntur, tamquam ipsam rationem ueritate defendunt, sit necessitas copiosius dicendi plerumque res claras uelut eas non solum spectantibus intuendas, sed quodammodo tangendo palpantibus offeramus: & tamen quis discipuli finis erit, si respondendum esse ipsis respondentibus nos existimemus? nam qui uel non possunt intelligere quod uel tam duri sunt pueritate mentis, ut etiam si intellexerint non obediant, & respondentes loquuntur iniquitatem, atque infatigabiliter uani sunt: quorum dicta contraria si torrens uelimus resellere, quotiens obnixa fronte statuerunt, non cogitare quid dicant, dum quocumque modo nostris disputationibus contradicant, quam sit infinitum, & erummosum, & infructuosum uides. Erat ergo hæc modus seruandus, ut ueritas manifeste & quasi palpabiliter ostendatur: & si qua in contrarium dicta fuerint, que aliud pondus non habeant, contententur, ne semper oporteat inutiliter eadem replicare. Sed si quis contrarium dicere uoluerit, scribat quod dicit, ut alij intelligentes diiudicare possint, an doceat ueritatem.

Primo ergo circa propositam questionem ut singula



gula dissentiamus, considerandum est pueros et infra annos pubertatis in religionem recipi non est sine malum, immo est expediens & fructuosum: quia illud quod a pueritia assuecimus, semper perfectius & firmitus tenemus, sicut illud Prou. 22. Adolefcens iuxta viam suam graditur, & et cum senuerit, non recedit ab ea. & ideo Apostoli instituerunt ut pueri et infantes ad christianam religionem reciperent, ut in ea nutriti, firmitus & perfectius ei inhaerent. & hoc est quod Dion. dicit in vlti. ca. ecclesia. hierar. Secundum legem sanctam confirmati infantes ad habitum sanctum habebunt consuetudinem, ab omni remoti errore & immunda vita expertes, hoc diuinitis nostris ducibus. i. Apostolis ad matrem venit, & visum est suscipere infantes. Multo autem magis excidit christiana infidelium vitam, quam vita religiosorum vitam secularium, praesertim cum in primitiua ecclesia omnium christianorum erat perfectissimus religionis status, sicut illud Act. 4. Multitudinis crediturum erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum quae possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, ad cuius vitam exemplar omnes religiones sunt institutae: & ideo religionum institutores ex eadem causa qua Apostoli, moti sunt ad recipiendum infantes in religionem, ut patet de beato Benedicto, qui ut in 2. dialogorum legitur, recepit nutriendum in religionem Maurum duodemnum, & Placidum septemnum. Est tamen quaedam differentia circa hoc attendenda. Nam pueri annos pubertatis ex naturali iure sunt sub cura parentum, propter hoc quod patiuntur discretionis defectum, sicut quem possint bene regere seipsum, & ideo in hac aetate possunt quidem religioni tradi, si a parentibus offerantur, & erit rata traditio, praecipue si cum ad annos pubertatis peruenerint, ratam habuerint paternam oblationem. Vnde Greg. dicit, & habetur 20. q. 1. Addidisti. Si pater, vel mater filium filiamque intra septem menses in infantia annis sub regulari tradiderint disciplina, utrum liceat eis postquam pubertatis impleuerint annos egredi, & matrimonio copulari, hoc omnino deuimus, quia nequitas est ut oblati a parentibus Deo filii voluntatis sine relaxentur. Si autem in hac aetate propria sponte se religioni tradiderint, potest hoc per assensum, vel dissimulationem patrum ratum esse, unde dicitur 20. q. 2. Si in qualibet minori aetate uel religionis tonsuram, uel religioni uel debitam, in utroque sexu filii aut unus, aut ambo parentes dederint, aut forte uel nolentibus, uel nescientibus. Si parentibus a se susceptam, non mox nisi in filii abdicauerint, sed uel coram se, uel episcopo palamque in conuentu eodem filios talia habere permiserint, ad saecularem reuerti habitum filii ipsis quandoque penitus non licebit. Si uero pueri annos pubertatis transcenderint, possunt et inuitis parentibus ad religionem transire, nec sunt repellendi, immo magis aduocandi. Ut enim Greg. dicit in quadam homelia. Ad uitam bonam alius in pueritia, alius in adulescentia, alius in iuuentute, alius in senectute, alius in decrepita aetate perducitur, & cum in nulla aetate sint repellendi, minus tamen sunt repellendi in pueritia. Dicit enim Chrysostomus super Mattheum. Quis meruerit appropinquare Christo, si repellatur ab eo simplex infantia? nam si sancti futuri sunt, quid ueritatis filios ad patrem uenire? Si autem peccatores futuri sunt, ut quid sententiam condemnationis profertis, antequam culpam uideatis? quam quidem damnationis sententiam proferunt ali-

qui, cum dicunt, Non sunt recipiendi pueri ad religionem, quia exhibent, & peiores efficiuntur. sed quod addunt quidam, quod oportet pueros prius exercitari in praecipis, & postea transire ad consilia obseruanda in religione, ex falso intellectu procedit. Arbitratur enim quod praecipia praeparant viam ad consilia. Non est autem sic, immo potius consilia parant viam ad praecipia seruanda: quia per consilia remouetur homo a rebus saeculi, circa quas occupatus difficile est quod innocentiam seruet. Vnde Hieronimus dicit super Mattheum. Graue onus innocentia subit in ceteris operum occupata. Rem. n. solius famulus Dei non sine saeculi uitis assequetur. & ideo Dominus dicit Mattheo 19. quod difficile est quod pecunias habent, intrare in regnum caelorum, quia difficile est quod homo praecipia seruet, quibus intratur in regnum, nisi si quis consilia diuitias relinquat: & ideo pueri ad hoc quod innocentiam seruare possint in obseruantia mandatorum sunt praeparandi, & quodammodo premuniendi in exercitio consiliorum, nec sunt repellendi, quamuis inerediti uideantur in praecipis. Dicit enim Origenes super Mattheum, Quidam puerile sermonem habentes offerunt saluatori pueros & infantes. Qui autem uidentur perfectiores, priusquam discant, ad rationem iustitiae reprehendunt eos qui pueros & infantes adhuc minus eruditos offerunt Christo. Dominus autem hortatur discipulos suos condescendere uilioribus puerorum. Hoc ergo debemus attendere, ne estimatione sapientiae excellentioris contempnamus quasi magni puillos ecclesiae, prohibentes pueros uenire ad Iesum, sed quod uicinas quaeritur, an ante religionis ingressum sint uoto, uel iuramento ad religionem obligandi, manifeste patet quod sic. Sicut enim in malo quanto uoluntas est magis obfirmata ad malum, tanto peior est, sicut in obfirmata patet, & qui ex malitia peccant ita etiam in bonis tanto uoluntas melior est, quanto est magis firmata & astricta ad bonum. Cum ergo bonum sit quod pueri ad religionem ueniant, multo melius est quod eorum uoluntas sit ad hoc firmata, quod sit uoto, uel iuramento. Vnde & David dicebat. Iuravi, & statui custodire iudicia iustitiae tuae. & Aug. dicit in epistola ad Paulinam, & Armentarium. Felix necessitas, quae ad meliora compellit. Ultimo autem considerandum est, an sint beneficii alliciendi, & si quidem conuentione, uel pacto pretium alicui detur, uel quodcumque terrenum beneficium, ut religionem intret, hoc est illicitum. Si autem aliquis ei aliqua beneficia temporalia conferat, ut auferat impedimenta, quibus impeditur a religionis ingressu, uel etiam ut eum nutriet, uel doceri faciat ad hoc, quod sit religionis aptus, hoc non est illicitum, sed est laudabile. Similiter & si beneficiis temporalibus aliquis aliquem alliciat, ut eum fauorabilem sibi reddat, non intrudens gloriam propriam, sed gloriam Dei, & proximi salutem, laudabile est, sicut & Apostolus de seipso dicit 1. Cor. 10. Per omnia uobis placeo. Deus etiam aliquos temporalibus beneficiis allicit ad bene agendum. In ecclesijs etiam quibusdam temporalium distributionibus alliciuntur aliqui ad ecclesiam deseruiendum, non quod praemium accipiant, sed sunt quae da secundario illectiu ad seruiendum Deo, sicut & Dominus dicit Mattheo 6. Prius querite regnum Dei, & iustitiam eius, & haec omnia, scilicet necessaria uita, adiacent uobis. Ad primum ergo dicendum, quod sicut Christus ad consilia inuitauit adolescentem in praecipis exercitatum, ita etiam uocauit Mattheum publicanum non exerci-



exercitatum in præceptis, sed peccatis implicatum: ex quo accipere possumus, quod ad consilia obseruanda in religione aduocandi sunt non solum exercitati in præceptis, sed etiam non exercitati.

AD SECVNDVM dicendum, quod diuersitas graduum dupliciter attendi potest. Vno modo, in diuersis statibus, seu conditionibus, & sic non oportet, quod qui tendit ad maiorem statum, vel conditionem, prius exercetur in minori statu, vel conditione: sicut videmus, quod illi qui volunt fieri milites, non prius exercitantur in lanificio, sed a pueritia exercentur in militia. Similiter qui volunt fieri clerici, non prius exercentur in vita laicali, sed a pueritia instruuntur in vita clericali: & hoc modo qui volunt religiosi fieri, non oportet quod prius exercentur in vita seculari, sed optimum est eis si a pueritia exercentur in vita religionis, quia magis poterunt in ea proficere. Vnde dicitur Thren. 3. Bonum est viro cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua. Alio modo, possunt accipi diuersi gradus in eodem statu, vel conditione: & hoc modo dicit Gregorius, quod in qualibet bona conuersatione incipiendum est a minoribus, ut ad maiora perueniatur. Sicut enim milites a rudimentis militiae, & clerici a rudimentis clericaturae: ita etiam & religiosi incipiunt a rudimentis religionis, ut proficiant usque ad summum.

AD TERTIVM dicendum, quod duplex est occasio. scilicet data, & sumpta. Tunc quidem datur aliquis occasio alicui ruendi, vel in cisternam cadendi, quod facit aliquid, vel dicit minus rectum, ex quo datur proximo occasio ruinae, & tunc ruina proximi imputatur danti occasio. Aliquando autem non est occasio data, sed sumpta, puta, cum aliquis inducit aliquem ad bonum, & ipse ex hoc fit deterior, non est relinquenda monitio bona propter hoc, quod ille sumit inde occasioem ruinae. Vnde & Dominus non dimisit prædicationem veritatis propter scandalum Pharisæorum, ut habetur Matthæi 23. Et Augustinus dicit in epistola ad Facium, & habetur 23. q. 4. Ipse pietas, & infra. Quod si plurimi essent in domo ruitura, & inde saltem vnus liberati posset, atque id quia facere conaremur, alij semetipsos precipitio necarent, doleremus de cæteris, verum de vnus saltem salute consolaremur.

AD QVARTVM dicendum, quod libertas necessitati coactionis opponit, quæ est necessitas absoluta, & talis necessitas est cohibenda: sed necessitas que est ex suppositione finis non opponitur libertati, & tali necessitate expedit uti ad eam utilitatem, alioquin nec præta promissionibus firmata, nec iuramenta in rebus humanis fieri deberent. Multo autem magis per hominibus expedit hoies obligari ad diuina, quæ sunt meliora.

AD QVINTVM dicendum, quod difficultas ingressus obseruatur in religionibus per hoc, quod datur intrantibus annus probationis, in quo difficultates religionis experiuntur.

AD SEXTVM dicendum, quod parietem nondum desiccato non est onus tignorum imponendum, nisi non prohibetur quin sit paries deliccandus. Desiccatur autem paries a prauo humore secularis affectus per religionem, & ideo contingit quod prius exercetur aliqui in religione, quam eis onus prælationis, aut sacrorum ordinum imponatur, & de hoc onere loquitur Gregorius, ut patet per ea quæ præcedunt in illo capitulo, & in 1. Homelia in Ezechielem.

AD VII. dicendum, quod status religionis & est status penitentiae, & est exercitium, siue schola perfectionis:

**A** vnde ad religionem recipiendi sunt peccatores propter penitentiam, & recipiendi sunt pueri innocentes quasi in schola quadam perfectionis, ut perfectius innocentiam conseruent.

AD OCTAVVM dicendum, quod si omnino inuiti pueri in religionem inducerentur, timendum esset de casu futuro: sed ex quo propria voluntate se obligant, ac religionem ingrediuntur, non habet locum ratio inducta.

AD NONVM dicendum, quod sicut magnum & paruum, multum & paucum, secundum Philosophum dicuntur relatiue, ita & festinatum, siue velox, & tardum. Nam festinatum, siue velox, est quod in paruo tempore multum mouetur. Illa ergo substantia inuitur, que est festinata in respectu ad debitum modum, puta, si aliquis aliquo statum aggressus statim a principio contemptis rudimentis illius status ea, quæ sunt perfectorum in statu illo, attentare velle. Non est autem substantia festinata, si exercitium perfectionis & quasi quædam scholam, quæ est religio, a pueritia aliquis aggreditur. Tatum est enim culmen perfectionis, ut etiam si a pueritia quis hominibus perfectionem aggreditur, semper habet ubi proficiat, sicut & Aug. dicit ad Volustianum de doctr. christi. Tanta est, inquit, christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.

AD X. dicendum, quod diuersi ordines sunt quasi diuersi gradus vnus clericalis vite, & ideo oportet ut a minoribus incipiat, qui ad maiores tendit. Non autem oportet quod qui tendit ad sacros ordines, quod exercitetur in his quæ pertinent ad inferiorem statum, laicalis, scilicet vite: & similiter in vita religionis oportet quod a rudimentis eius incipiat, qui religionem ingreditur, ut ad summum apicem religionis perungere possit, non tamen oportet cum prius esse exercitatum in seculari vita.

AD XI. dicendum, quod in intelligibilibus etiam oportet quod aliquis a minoribus in eadem scientia incipiat, ut ad maiora perueniat, non tamen oportet quod quicumque vult addiscere aliquam scientiam maiorem, quod exercitetur in qualibet minori: sicut qui volunt addiscere liberales artes, non oportet quod prius exercitetur in mechanicis, sed solum hoc oportet quando minor scientia parat viam ad maiorem. Vt autem secularis non parat viam ad religionem, sed magis ab ea abducit, Vnde Greg. dicit in princ. moralium. Cum adhuc me cogeret animus presentis mundi quasi specietenus deservire, ceperunt multa ex eiusdem mundi cura succrescere, ut in eorum iam non species, sed quod est grauius, mente retineret. E conuerso autem obseruantia consiliorum parat viam ad tutius & perfectius præcepta diuina obseruanda, quæ necesse est in seculari vita obseruari.

AD XII. dicendum, quod ratio illa in multis deficit. Primo quidem, quia ille qui religionem intrat, non ad hoc eligitur, ut sui, vel alterius curam gerat magis quam ante, sed magis ut sit sub cura & obedientia alterius. Secundo, quia hoc non conceditur ab omnibus, quod necesse sit eligere meliorem ad regimen plationis, sed secundum quosdam sufficit eligere bonum. Tertio, quia si oportet eligere meliorem ad plationem, non quidem oportet simpliciter meliorem eligere, sed meliorem, id est magis idoneum ad hoc: pueri autem ceteri non sunt meliores simpliciter quam adulti, sunt tamen magis idonei ad hoc, ut in religione nutriantur, vnde



vnde Anselmus in lib. de similitudinibus comparat eos qui a pueritia nutriuntur in religione angelis, alios autem hominibus: quia angeli a principio, homines processu temporis ad vitam eternam perueniunt. Quarto, quia ad episcopatum non eligitur nisi vnus, & ideo maior necessitas est quod melior assumatur, quam de intrantibus religionem, quod plures accipi possunt.

AD XIII. dicendum, quod non solum illud quod est peccatum, praebebat occasionem ruinae, sed etiam illud quod habet speciem mali. Vnde & Apostolus dicit 1. ad Thesalonicenses ultimo. Ab omni specie mala abstinete vos. Et quia serpens aeneus, etsi secundum se esset bonus ex sui institutione, tamen speciem habebat mali propter similitudinem idolatriae: ideo apud eos qui erant ad idolatriam proni, non erat dimittendus, sed laudabiliter fuit subtrahendus. Introitus autem religionis nec est secundum se malum, nec habet speciem mali. Benedictio autem etsi sit de genere suo bona, tamen ad hoc quod sit actus virtutis, exigitur quod sit vestita debitis circumstantiis, ut sit conueniens & personae, & loco, & tempori. Non est autem conueniens personae, quando minor praesente maiore benedicitur, quia sicut dicitur ad Hebraeos 7. Sine vlla contradictione, quod minus est, a maiore benedicitur.

AD XIII. dicendum, quod ille qui accedit ad consilia, non quarit accessum per abrupta postpositis gradibus, sed magis refecat quae possunt hominem impedire ab obseruatione praecceptorum, sicut dictum est.

AD XV. dicendum, quod secundum dictum Damasceni, magis esset contrarium concludendum. Ideo enim Deus hominibus etiam post regenerationem incorruptibilitatem non statim addit, quia hoc non esset eis utile, sed superbiendi occasio. Abundantia enim temporalium & corporalium bonorum est materia superbiae, & ideo utile est homini ad superbiam vitandam, ut ad consilia transeat, temporalium bonorum superabundantiam derelinquens.

AD XVI. dicendum, quod amplexus Rachelis significat quietem contemplationis, ad quam etiam consilia sequentes non statim a principio peruenire possunt, sed post longum exercitium bonorum operum: facilius tamen ad praedictam quietem peruenitur per obseruantiam consiliorum, quam per exercitium mandatorum in vita saeculari.

AD XVII. dicendum, quod si beneficijs temporalibus aliqui alliciantur ad religionem cum pacto, sicut patet in emptione & venditione, est illicita solutio. Si autem aliquis alicui prouideat sine pacto, non est illicita solutio: vnde post praemissa verba in eodem capite subiungitur. Nisi forte de pauperum alimeto quis inconcinne proponat. & iterum subdit. Dum tamen abest pactio, & omnis cesset conuentio.

AD XVIII. dicendum, quod status religionis, quantum ad eos qui in eo profecerint, est spiritalis militia: quantum vero ad eos qui de nouo intrant, est quasi cuiusdam tyrocinijs exercitium, & ideo oportet ad maiorem profectum, quod a principio aliquis huiusmodi exercitium subeat, sicut & de exercitio militiae temporalis Vegetius docet in libro de re militari.

AD XIX. dicendum, quod obligatio perficiens matrimonium corporale non potest fieri ante annos pubertatis, cui obligationi similis est profectio, quae fit in religione ad perpetuo remanendum in ea: sed ante annos pubertatis potest fieri aliqua spatio futuri matrimonij, sicut est in sponsalibus, cui

assimilatur obligatio quae fit ad religionem. AD XX. dicendum, quod sicut glo. ibidem exponit, per hoc quod demoniacus curatus volebat esse in nauis cum Christo, significatur desiderium eorum qui sunt a peccato mundati, in quo cupiunt dissolui & esse cum Christo, & hoc non statim eis conceditur, sed oportet quod prius in hac vitaliborent annuntiando verbum Dei. Vnde patet quod non est ad propositum.

AD XXI. dicendum, quod quanto aliquis magis exercitatus in bono, ex Aegypto. i. ex saeculo ad religionem transit, tanto facilius in ea proficere potest: sed quia in saeculari vita imminet multa pericula, quibus huiusmodi exercitium virtutis impeditur, ruitus est quod a principio impedimenta diripat per obseruantiam consiliorum.

AD XXII. dicendum, quod difficilius est obseruare praeccepta in vita saeculari, quam in vita religiosa. Magna enim virtus requiritur ad hoc, quod aliquis in saeculo viuens se immaculatum a vitijs saeculi conseruet. Vnde dicitur Eccles. 3. 2. Beatus dies, qui inuentus est sine macula. & postea subditur. Quis est hic & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua. Et ideo maioris praesumptionis esse videtur, si tamen sit praesumptio, quod aliquis in saeculo viuens considerat se immaculatum, quam quod tunc virtutis se non existimans ad religionem transeat, ut facilius a peccati macula conseruetur ad modum Zachari, qui cum statura pusillus esset, ad hoc Christus videret, ascendit arborem sycomorum, & fatuam, per quam religio designatur.

AD XXIII. dicendum, quod in vnoquoque maiora minoribus sunt attribuenda, & tamen qui ad maiorem statum proficere vult, oportet quod gradum minor est, primordia illius status accipiat, secundum illud Eccles. 25. Quae in iuuentute tua non congregasti, in senectute quomodo metes? & ideo ad hoc quod aliquis perueniat ad perfectionem religionis, oportet quod a principio status suae ad huiusmodi assuecat.

ARTICVLVS XXIII.

Utrum consilia ordinentur ad praeccepta.

SECUNDO queritur, utrum consilia ordinentur ad praeccepta, & videtur quod non. Illud enim ad quod ordinatur aliud, posterius est, quia finis est prior in re, & posterior in executione: sed obseruationem praecceptorum constat esse priorē in executione, quam implerionem consiliorum, ut patet Mathei 19. de adolescente qui dixerat se seruasse legis praeccepta a iuuentute sua, cui datur consilium perfectionis, ergo videtur quod consilia non ordinentur ad praeccepta sed ad finem, sed potius e conuerso.

¶ 2. Praet. Finis est perfectior his quae sunt ad finem, sed consilia sunt perfectiora praecceptis, quia consilia pertinent ad perfectionis statum, praeccepta autem pertinent ad communem iustitiam, vnde & consilia praecceptis superadduntur, ut patet per hoc quod Mathei 19. Dominus dicit adolescenti, qui praeccepta seruauerat. Adhuc vnum tibi deest. Si vis perfectus esse &c. ergo consilia non ordinantur ad praeccepta, sed potius e conuerso.

¶ 3. Praet. Secundum Philosophum in 2. Phys. Sicut se habet principia ad conclusiones, ita se habet fines ad ea, quae sunt ad finem: sed talis est habitudo principiorum ad conclusiones, quod postis principijs ponuntur conclusiones, non autē e conuerso, quia contingit ex falso syllogizare verum, ergo talis est habitudo finium ad ea quae



ea quæ sunt ad fines : sed postis præceptis non ponuntur consilia, multi enim obseruant præcepta, qui non obseruant consilia. ergo consilia non ordinantur ad præcepta sicut ad finem.

¶ 3 Præ. Aug. dicit in lib. de sancta virginitate. Mirabiliter desipiunt, qui pp præsens sæculum virginitatē esse solum obseruandam sentiunt : sed obseruatio præceptorum pertinet ad præsens sæculum. ergo consilium virginitatis non est implendum propter præcepta, & eadem ratio est de alijs consilijs.

¶ 4 Præ. Præcepta pertinere videntur ad vitā actiuam, consilia autem ad vitā cōtemplatiuā. Vnde Matthæi 19. vbi enumerantur præcepta legis, dicit glosa. Ecce vita actiua. vbi autem postea subditur. Si vis perfectus esse & car. dixit. Ecce vita contemplatiua: sed vita actiua ordinatur ad cōtemplatiuā, & non econtrario. ergo præcepta ordinantur ad consilia, & non econuerso.

¶ 5 Præ. Dominus bis miraculose legitur turbas refecisse. Primo quidem, qñ satiavit quinque millia hominum ex quinque panibus & duobus piscibus, vt legitur Matth. 14. Secundo, qñ de septem panibus & paucis pisciculis, satiavit quatuor millia hominum, vt habetur Matth. 16. & sic dicit gl. Matth. 14. Quinque millia pro quinque sensibus corporis, ita sunt qui in seculari habitu exterioribus recte vt nouerint, hi quinque panibus, id est, legalibus præceptis adhuc necesse est, vt instruantur. Nam qui mundo integre renunciat, quatuor millia sunt, & septem panibus, id est, euangelica perfectione, sunt similes: & spiritali gratia reficiuntur: sed primo pauit Dominus quinque millia hominum ex quinque panibus, quam quatuor millia ex septem. ergo præcepta sunt præuia consilijs, & non econuerso.

¶ 6 Præ. Dispositiones præcedunt perfectionē, & ordinantur ad ipsam: sed præcepta sunt dispositiones ad cōsilia, dicit. n. glosa. Hiero. in principio Marci. Quatuor sunt qualitates, de quibus sancta euāgelia contextuntur, præcepta, mandata, testimonia, exempla. In præceptis iustitia. In mandatis charitas. In testimonijs fides. In exemplis perfectio, ad quam pertinent consilia, & non econuerso.

¶ 7 Præ. Primo non est aliquid prius: sed sicut dicit quædam gl. super Psalmit. Charitas primo mouet pedem ad reditum vitæ: de actu autem charitatis dantur præcepta. ergo nihil est prius in vita spiritali, quam præcepta. non ergo consilia ordinantur ad præcepta, sed potius econuerso.

¶ 8 Præ. Super illud Psal. 130. Sicut ablactatus super matrem suam &c. dicit glo. Sicut quinq; tempora norantur in procreatione carnali, ita & in spiritali. Primū ergo tēpus est conceptionis, secundum est in vtero alitionis, tertiu emissionis, quartum portationis & lactationis, quintū ablactationis: ita & in vtero matris Ecclesiæ, primo cōcipimur, dum fidei rudimētis instruimur: inde quasi in vtero alimur in iisdem primordijs proficientes, deinde manibus ecclesiæ portamur, & lacte nutrimur, donec iam grādusculi a lacte matris accedamus ad mēsam patris. & postea subditur. Multi vero hūc ordinem peruerterunt, vt hæretici & schismatici se ante rēpus a lacte separantes, vnde extinguntur: sed separari a lacte est facilioribus dimissis ad difficiliora trāsire. Cū ergo consilia sunt difficiliora quam præcepta, vñ quod periculo extinctionis se exponant, qui ad consilia accedunt, nisi prius educati in præceptis. præcepta ergo ordinantur ad consilia, & non econuerso.

A ¶ 9 Præ. Greg. dicit super Ezech. quod est ex præcepto bonum facere, inchoandum est: sed id quod est incipiētium, ordinatur ad id quod perfectionis est, & non econuerso. ergo præcepta ordinantur ad consilia, & non econuerso.

¶ 10 Præ. Virtus imitatur naturā: sed natura operatur prius in corpore animalis ea quæ pertinent ad esse, sicut mēbra principalia, quam ea quæ sunt de bene esse. ergo in progressu virtutis priora sunt præcepta quæ sunt de esse virtutis, quam consilia quæ sunt de bene esse ipsius, & sic idem quod prius.

¶ 11 Præ. Sicut est ordo in addiscendo, ita etiam in operando: sed in addiscendo oportet incipere a facilioribus, vt ad difficiliora pueniatur. ergo in operando oportet prius implere præcepta quæ sunt facilia, & sic trāsire ad consilia.

¶ 12 Præ. Matt. 5. dicitur in gl. quod sermo diuinus est nobis via qua currimus: sed sermo diuinus præordinat præcepta consilijs, vt patet Matt. 5. vbi primo ponitur id quod præceptum est antiquis, & postea superadditur a Domino id quod perfectionis est. ergo videtur quod obseruantia præceptorum sit præordinanda obseruationi consiliorum.

¶ 13 Præ. Illud quod est minimū in aliquo genere, ordinatur ad id quod est maximum in genere illo: sed nihil est minus in vita christiana, quam obseruantia præceptorum: nihil autē maius quam obseruātia consiliorum. ergo præcepta ordinantur ad cōsilia.

¶ 14 Præ. Hier. dicit super Matt. Qui præcepta legis implere negligit, perfectiora implere non potest. ergo oportet qd prius aliqui impleat præcepta quam consilia, & sic præcepta ordinantur ad consilia.

¶ 15 Præ. Prius est a quo nō conuertitur consequētia essendi: sed a præceptis non conuertitur consequētia essendi ad consilia. non enim sequitur, si aliquis seruat præcepta, quod seruet consilia. ergo obseruatio præceptorum naturaliter præcedit & ordinatur ad obseruantiam cōsiliiorum.

SECONTRA est, quod Aug. dicit in Enchi. Quæcumq; mandat Deus, ex quibus unum est, Nō mechaberis: & quæcumque non iubentur, sed spiritalia consilio mouentur, ex quibus unum est, Bonum est homini mulierē non tangere, tunc recte sūt, cū referantur ad diligendum Deū & proximum propter Deum: sed hæc duo cadūt sub præcepto ut patet Matt. 22. ergo consilia ordinantur ad præcepta.

¶ 2 Præ. Illud quod est electionis, ordinat ad id quod est necessitatis, quia electio est eorum quæ sunt ad finem: sed consilia sunt electionis, præcepta autem necessitatis. ergo consilia ordinantur ad præcepta.

¶ 3 Præ. Illud per quod aliquid plenius perficitur, ordinatur ad illud: sed per consilia plenius & tutius conseruantur præcepta. ergo consilia, ordinantur ad præcepta.

E RESPON. Dicendum, quod præcepta dantur de actibus virtutum. Duplex autem est virtutis actus. Interior & exterior, & uterq; actus sub legis præcepto cadit, vnde Aug. dicit cōtra Faustum, qd quia iudæi non intelligebāt homicidium nisi per interemptionē corporis humani, aperuit Dominus omnē iniquum motum ad nocendum fratri in homicidij genere deputari. Similiter ē tantummodo corporealem cum femina illicitam cohabitationē uocari machiam, quæ erat in lege prohibita, sed Dñs demonstrauit ēt interiorem concupiscentiā ad hoc pertinere. Vnde manifestum est qd etiam interiores actus virtutum sub præcepto cadunt. Consilia ergo ordinantur

1. q. 91. art. 4. c. & quest. 98. artic. 1. c. & 2. dist. 40. art. 1. c.



ordinantur ad præcepta & fm q̄ sunt de interioribus virtutum actibus, & fm q̄ sunt de exterioribus actibus, sed diuersimode: nã ad interiores actus virtutum ordinantur sicut in finem. Omnes. n. interiores actus virtutum moralium pertinent ad mentis puritatem, vt. sciens hominis a passionibus inordinatis, & ab exteriorum rerum cupiditate sit libera. Et ulterius, omnes virtutes tam morales, q̄ theologice ordinantur ad dilectionem Dei & proximi: & ad hæc duo omnia consilia ordinantur sicut ad finem. scilicet ad charitatem Dei & proximi, & ad mentis puritatem: vnde dicitur in collationibus patrum. Quicquid nos ad virtutem cordis potest dirigere, tota virtute secūdam est: quicquid autem ab hac retrahit, vt perniciosum & vitium deuitandum est. Pro hac enim vniuersa agimus atq; toleramus, pro hac patria, parentes, dignitates, diuitie, delicia mundi huius, & voluptas vniuersa contemnitur, ut. si puritas cordis perpetua retineatur: & postea subdit. Pro hac te iuniorum inedia, uigilias, labores, corporis nuditatem, lectionem, ceterasq; virtutes debere nos suscipere nouerimus, ut per illas ab vniuersis passionibus noxijs illasas præparet cor nostrum, & seruire possimus, & ad perfectionem charitatis istis gradibus imitando conscendere. Et hoc idem Aug. dicit de moribus ecclesie. Non reiiciendis, inquit, generibus ciborum quasi pollutis, sed concupiscere, & perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ inuigilare ois intetio, & ibidem dicit. Charitas præcipue custoditur, si charitati virtus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptat. Vnde & Apostolus. I. ad Cor. 7. virginitatis consilium ad hoc ordinandum docet, vt mulier inupta cogitet quæ sunt Dei, quomodo placeat Deo, & Dominus Mat. 19. paupertatis consilium ad hoc ordinat, ut homo Deum sequatur, quod fit per rectitudinem & puritatem interioris affectus. Sic ergo consilia ordinantur sicut in finem ad præcepta, fm quod sunt de actibus exterioribus, puta, Non occides, Non furtum facies &c. ordinantur consilia ad præcepta non sicut ad finem. Non enim pp hoc homo virginitatem seruat, vt ab adulterio absterneat: neque hoc sine aliquis suis abrenuntiat, ut non furetur aliena, cum exteriora opera consiliorum sint maiora q̄ exteriora opera præceptorum: ordinantur tñ ad ea in quantum faciunt ea tutius & firmiter conseruari. Qui. n. sua dimittit, multo magis abstinet a rapiedis alienis. Vnde & Aug. dicit in 19. li. contra Faustum. Oia ex Hebræorum lege commemorata Dominus commendauit, ut quicquid ex persona sua in super loqueretur, uel ad expositionem commendandam valeret, si quid illa obscurum posuisset, vel ad tutius conseruandum quod illa voluisset. Et in libro de sermone Domini in monte dicit, q̄ dum sunt illa quæ adduntur ad perfectionem, multo magis sunt illa quæ præmissa sunt ad inchoationem. Sic ergo patet q̄ consilia ordinantur sicut ad finem ad præcepta, prout sunt de interioribus actibus virtutum: sed ad præcepta fm quod sunt de exterioribus actibus ordinantur consilia ad hoc, quod tutius & firmiter conseruentur per modum remouentis prohibens, & primum horum est causa secūdi. Firmiter. n. exteriorum actuum obseruatio causatur ex interiori affectione mentis bene disposita.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod secundum quosdam, diues ille mentitus est dicens se præcepta obseruasse, & præcipue quantum ad unum præceptum

quod ibidem commemoratur, pertinet ad interiorum actum. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Vnde Origenes dicit super Mattheum. Scriptum est in Euangelio secūdam Hebræos, q̄ cum Dominus dixisset ei, Vade, & vende omnia quæ habes, & dicit ad cum Dominus. Quomodo dicis, Feci legem & Prophetas. Scriptum est enim in lege. Diliges proximum tuum sicut teipsum: & ecce multi fratres tui filij Abrahæ amici sunt stercore morientes præ fame, & domus tua plena est multis bonis, & non egreditur ex ea omnino aliquid ad eos. Impossibile. n. est implere prædictum mandatum, & esse diuitem, & maxime habere tantas possessiones. Et hoc idem confirmat per Hieronymum, qui dicit super Mattheum. Mentitur adolescens. Si. n. quod positum est in mandatis, Diliges proximum tuum sicut teipsum, opere compleret, quomodo postea audiens, Vade omnia quæ habes, & da pauperibus, tristis abiisset. Sed quia Chrysostomus, & alij expositores dicunt adolescentem illum non fuisse mentitum, utrumque saluari potest. Nam hoc præceptum, Diliges proximum tuum sicut teipsum, dupliciter potest obseruari. Vno modo imperfecte, vt. si aliquis non faciat contra proximum, quod non vult sibi fieri, & vt sine detrimento proximo subueniat. Alio modo, vt. ad subueniendum necessitatibus proximorum corporalibus ita se habeat, sicut ad subueniendum necessitatibus proprijs. Hoc. n. modo non implet hoc præceptum, qui cum multis diuitiis habeat, sibi eas reseruat permittens proximum egere. Consilia autem ad hoc ordinantur, vt præcepta perfectius custodiantur. Ideo Dominus obseruanti præcepta imperfecte, super addit consilia, per quæ præcepta perfectius obseruentur.

AD SECVNDVM dicendum, q̄ perfectio vitæ in præceptis, secundum quod sunt de interioribus virtutum actibus, consistit essentialiter: nam charitas est vinculum perfectionis, sicut Apostolus dicit ad Coloss. 3. & ideo cum Dominus præcepta charitatis posuisset Matthei 5. subiungit. Et ore ergo perfecti sed in consilijs quæ sunt de quibusdam exterioribus actibus, consistit perfectio instrumentaliter, quia. s. humiliorum consilia sunt quasi quedam instrumenta, per quæ facilius ad perfectionem peruenitur. Vnde in collationibus patrum dicitur. Ieiunia, vigilia, meditatio scripturæ, si, nuditas ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quæ non in ipsis consilijs discipline illius finis, sed per illa peruenitur ad finem. Et Aug. dicit in lib. de perfectione iustitie. Sic audiamus præcepta perfectionis, ne curere negligamus ad perfectionem charitatis. Et Hieronymus super Mattheum dicit exponens illud. Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te. Quia, inquit, non sufficit tantum relinquere, iungit q̄ percutit est. Et secuti sumus te, qd ergo erit nobis, quod diceret. Fecimus quod iussisti, quid ergo dabis premij? Præcepta ergo imperfecte obseruata pertinent ad communem iustitiam: sed perfectio vitæ consistit in ipsa plena obseruantia præceptorum.

AD TERTIVM dicendum, q̄ aliquid ad finem ordinatur dupliciter. Vno modo vt necessarium ad finem, in quo finis esse non potest, sicut cibus ad vitæ corporis obseruandam. Alio modo sicut necessarium ad finem, sine quo ad finem non ita bene perueniri potest, sicut equus ordinatur ad iter. non quia sine equo aliquis ire non possit, sed quia in equo melius vadit. Sic militer & consilia ordinantur ad præcepta, non quia sine



sine cōsilijs præcepta obseruari non possint & quãtum ad interiores actus, & quantum ad exteriores. Nam Abraham qui & coniugio, & diuitijs utebatur, fuit coram Deo perfectus, secundum illud Gen. 17: Ambula coram me, & esto perfectus, sed quia per consilia facilius & expeditius ad perfectam præceptorum obseruantiam peruenitur.

Ad quartum dicendum, q̄ Augustinus in verbis illis intendit excludere quorundam dictum, qui credebant virginitatem esse necessariam solum ad eandem tribulatione corporis, que in matrimonio sustinetur: obseruatio autem præceptorum est in hoc seculo fiat, non tamen pertinet ad hoc seculum, sed futuro seculo coniungi.

Ad quintum dicendum, q̄ præcepta pertinent & ad actiuam, & contemplatiuam vitam: consilia vero sunt instrumenta contemplatiuæ uitæ. Sed ibi præcessit mentio de præceptis ordinantibus ad proximum, quæ pertinet ad vitam actiuam.

Ad sextum dicendum, q̄ etiam in ipso exercitio præceptorum contingit inueniri differentiam perfectionis. Vnde non potest dici, q̄ numerus quinque; nullum pertineat ad præcepta, & numerus quatuor nullum ad consilia: sed primum pertinet ad imperfectam obseruantiam præceptorum, qualis etiam in seculari vita interdum habetur. Secundum vero pertinet ad perfectam obseruantiam præceptorum, ad quam ordinantur consilia. Nec tamen quia primo Dominus pauit quinque millia quàm quatuor millia, oportet quòd aliquis prius exerceatur in vita seculari, quàm trãseat ad religionem, quia etiam religionem intrantes, non statim perfectionem adipiscuntur, sed ad perfectionem assequendã se exercitant, sicut & intrantes scholas logicæ, non statim efficiuntur logici, sed ad hoc se exercitant: vnde & religio quaedam perfectionis schola est.

Ad septimum dicendum, q̄ exẽpla quæ traduntur in euãgelio, sunt exẽpla Christi, quæ pertinent non solum ad consilia, sed etiam ad perfectã obseruantiam præceptorum, vnde & ibidem subdit exẽpla vt hic. Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.

Ad octauum dicendum, q̄ charitas habet multos gradus. Nam primo est charitas incipiens, & postea perficiens, & ultimo perfecta: vnde charitas in spirituali vita est principium & finis.

Ad nonum dicendum, q̄ obseruantia cōsiliorum est difficilior q̄ obseruatio præceptorum, quãtum ad exteriores actus: tamen obseruatio præceptorum perfecta quantum ad interiores actus est longe difficilior. Difficilior enim est deponere animi cupiditates, quàm possessiones, & tamen difficilior est obseruare exteriores actus præceptorum sine cōsilijs, quàm cum consilijs, sicut ex præmissis patet.

Ad x. dicendum, q̄ incipientes sunt sine ordine instruendorum ab alijs, & ideo præcepto mouentur ad aliquid faciendum tam in vita seculari, quàm in religione: sed quando iam perficiuntur, operantur ab interiori habitu, quasi ex seipsis non solum consilia, sed etiam præcepta.

Ad xi. dicendum, q̄ sicut dictum est, charitas & est principium spiritualis uitæ, & finis: & ideo & ipsa præcedit inchoata, tamquàm de esse existens spiritualis uitæ, & ipsam sequitur tamquàm pertinet ad perfectum esse spiritualis uitæ: & tamen ea quæ sunt de bene esse, ordinantur ad conseruationem eorum quæ sunt de esse rei.

Ad xii. est dicendum, quòd etiam in disciplinis

A prius addiscuntur ea per quæ alia perfectius intelliguntur, quàmuis illa facilius sit intelligere, vel habere secundum eommonem modum: sicut facilius est scire argumentari eo modo, quò etiam idiotæ vtuntur dialectica quadam, quàm scire regulas logicæ, & tamen primo addiscunt regulæ logicæ ad hoc, quòd aliquis perfectus argumentari valeat, quàm cõmuniter idiotæ argumentantur. Et similiter facilius est obseruare præcepta secundum imperfectum modum, q̄ obseruare consilia & tamen qui tendunt ad perfectam præceptorum obseruationem, oportet q̄ incipiant a consilijs, sicut a quibusdã instrumentis.

B Ad xiii. est dicendum, quòd illa quæ ibi Dominus superaddit, non sunt cōsilia, sed præcepta, vt patet ex ipsijs verbis Domini, quæ ibi ponuntur. Tum etiam ex expositione Augustini in libro & sermone Domini in monte.

D Ad xiiii. dicendum, quòd obseruantia præceptorum secundum imperfectum modum est minimum in vita spirituali, sed est maximum, si obseruetur perfecte.

Ad xv. dicendum est, quòd perfectiora euangelij non solum sunt consilia, sed etiam præcepta, ut ex dictis patet.

C Ad xvi. est dicendum, quòd illud a quo non conuertitur consequentia essendi, etsi sit prius natura quodammodo, non tamen oportet quòd semper sit prius tempore. Non enim in angelis viuere præcedit intelligere, quàmuis non omne viuens sit intelligens, quia statim a principio angeli vitam perfectam habent, quæ est intellectualis. Et similiter qui volunt plenius præcepta custodire, statim a principio consilia assumere debet, licet non omnes obseruantes præcepta, obseruent consilia.

Finis quarti quodlibet.

INCIPIT QVODLIBET QVINTVM.

QVÆSTIO PRIMA.

VAESITVM est de Deo, & angelis, & hominibus. De Deo quæsitum est & quantum ad naturam diuinam, & quantum ad naturam assumptam. Quantum ad naturam diuinam, quæsitum est de scientia, & de potentia.

¶ Circa scientiam Dei quæsita sunt duo.

¶ Primo, Verum Deus sciat primum instans, in quo potuit creare mundum.

¶ Secundo, Vtrũ præsciti a Deo possint demereri.

ARTICVLVS PRIMVS.

Verum Deus sciat primum instans in quo potuit mundum creare.

AD PRIMVM sic procedebatur. Videntur q̄ Deus sciat primum instans, in quo potuit mundum creare. Deus enim potuit creare mundum antequàm creauerit, nõ aut potuit creare ipsum in infinitum ante, quia sic esset ei cõternus. ergo est dare aliquo d instans, in quo primo potuit creare mundum: sed Deus sua sciẽtia totũ cõprehendit. ergo Deus scit primum instans, in quo potuit creare mundum.

S E D